



Universitätsbibliothek Paderborn

Svmmvla Caietani

Cajetan, Thomas

Antverpiae, 1575

Falsæ vocis significatio cum intentione fallendi peccatum est.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41716

hoc non seruantis nisi post vi sum periculum quasi
vicinum mori, & tunc etiam non ob contemptum
præcepti Ecclesiæ, sed quia sic consueuerunt medici
facere, non per seipsum sed per consanguineos, vel
alios monentes de confessione. Nam si constitutio
hæc sit ex consensu vtentium acceptata, & Prælati
quibus ibidem committitur exequitio contra medi-
cos transgressores dissimulant, excusantur medici à
peccato mortali: quoniam iuris positivi decreta per
non vi sum abrogari constat, præcipue nunquam re-
cepta adamussim, ut hoc videtur. Et rationabile vide-
tur decretum hoc scriptum tantū fuisse, & nunquam
consensu vtentium comprobatum: quia medicorum
officio contrariatur ac per hoc semper videntur ob-
stisſe. Medici enim habent ex artis præcepto semper
ingerere læta, quæ sunt sanitatis & spei infirmo: &
propterea aiunt non spectare ad se huiusmodi tristia
inferre si periculum est: & si periculum non est: non
debere exponere se aut verba sua ridiculo. intellige
hæc ad excusandam consuetudinem bonorum medi-
corum.

*Falsæ vocis significatio cum intentio-
ne fallendi peccatum est.*

Mendacium (hoc est falsæ vocis significatio cum
intentione fallendi hoc est falsum dicendi) sem-
per est peccatum: quia est per se prauum: vt pote re-
ctæ rationi repugnans. Est autem triplex. Aliud io-
cosum, quod nulli nocet, sed delestanti causa dicitur:
& hoc est veniale: Aliud officiosum, quod sine alicu-
ius iniuria dicitur, vt alicui proſit: & hoc etiam est
veniale. Aliud demum perniciosum, quod iniuriosum
ſeu nociuū est diuinis aut humanis, & hoc est mor-
ale ex suo genere: quia contra charitatem est: vt pa-
get. Potest autem huiusmodi mendacium deficere, vt
non

Mercatura. 423

Non pertingat ad peccati mortalis perfectionem tripliciter. Vel propter imperfectionem actus ex parte dicentis: ut in primis motibus contingit propter non deliberatè consentire. Vel propter imperfectionem actus ex parte nocimenti: ut in minimiis contingit. Vel propter imperfectionem actus ex parte formæ: ut contingit in detractione non animo detrahendi, & similibus: ita quod mentiens in materia perniciosa (puta in scientificis) non animo nocendi alicui, sed ex loquacitate non putans inde aliquem notare & concipere falsam doctrinam, quia non formaliter dicit perniciosum, non peccat mortaliter: nisi nocumētum sit adeo notabile, ut peccati redeat in naturam suæ formæ. Et scito perniciosum esse mendaciū, omne mendacium circa sacram scripturam, omne mendacium circa scientifica, pro quanto sunt bona intellectus, & omne mendacium prædictoris cōtra veritatem spectantem ad iudicis officium: & similiter omne mendacium iudicis contra veritatem spectantem ad iudicis officium: quoniam hæc tantum sunt prædictoris ut sic, & iudicis ut sic, mendacia: reliqua sunt per accidens, & ideo venialia: nisi ratione scandali aliud occurrat censendum.

*Mercantia solius lucri gratia exercitata
vitiosa est et vituperabilis.*

Mercatura nuda, hoc est solius lucri gratia, virtu-
perabilis est, vtpote infinita, ac per hoc insatia-
bilis. Ordinata autem ad finem: politicum (hoc est ci-
vitatis bonum), vel ad finem œconomicum, hoc est
domesticum bonum, laudabilis est, si iniustitia frau-
dum, mendaciorum & huiusmodi desint.

Meretricium semper est peccatum.

Meretricis turpitudo, siue venialis sit, siue nō pecc-
atura est mortale. Et quoniā multas implicat
crimina